

(*Prov. Germaniae Inf.*)

† R. P. Christianus Schlemann (1850–1928).

(*Prov. Germaniae Inf.*)

Medio mense Augusto anni 1869 quidam adolescentulus 19 annorum, statura pusillus et gracilis, sex horarum itinere defatigatus, ad ostium collegii nostri Maria-Hamicolt pulsat. Itinerando saepe saepius Deo gratias egerat, quod animum patris, vocationi religiosae filii diu obsistentis, tandem aliquando mutasset. Iam gaudebat brevi se fore in portu salutis, et forti animo P. Provinciali Hampl obtulit testimonium magistrorum gymnasii

Warendorpiensis: Christianum Schlemann — ita adolescentulus vocabatur — semper optime morigeratum fuisse, industria laudabilem, litterarum scientia satis imbutum. Verum attonitus stetit ille tremens, cum a P. Provinciali, viro robustissimo, haec verba audisset: « Homunculum eiusmodi in Congregationem admittere nequeo; nam studentium debilium satis habemus. » Casu ibi aderat P. Magister Pösl, cui P. Hampl post longiorem cum Christiano nostro conversationem dixit: « Omnem tibi do potestatem; si tu periculum in te suscipere paratus es, amplius non contradico ».



Tum P. Pösl: « Nulla interposita dubitatione eum admitto; etenim perseverabit. » Ita P. Schlemann ipse in litteris d. 14 Apr. 1927, post celebratum iubilaeum sacerdotale, ad Rm̄um P. Generalem datis. Non solum in Congregatione perseveravit, sed omni morbo liber ad aetatem 78 annorum pervenit et valde proficiuus Instituto innumerisque aliis evasit.

R.<sup>1</sup> P. Schlemann vita hisce circumscribitur temporum finibus: Natus est in Warendorf (ergo eodem in Westfaliae oppidulo, quo R. P. Andreas Hülsmann, cuius necrologium videsis in superiore fasciculo) d. 17 Maii 1850, octavus inter 12 liberos Gulielmi S., pistoris, et Elisabeth Stiene. Schola elementari et gymnasio urbis patriae absolutis, ut ad nostrum Institutum admitteretur, enixe petiit. Quondam enim, cum Monasterii (*Münster*) in ecclesia Cappuccinorum Patrem Redemptoristam de nuper beatificato Benedicto Urbinati O. M. Cap. contionantem audisset, vivum senserat desiderium Alphonsianae familiae se aggregandi, quod pium desiderium auctum est inde, quod eius condiscipuli Brameyer et Carlé Congregationi nostrae nomen dederunt. Superatis multis obstaculis voti compos factus, Christianus noster d. 23 Oct. 1870 Treviris vota emisit perpetua. Studiis deinceps philosophicis ac theologicis in Maria-Hamilcolt vacabat, usquedum procella in Germania contra Ecclesiam exorta, quam *Kulturkampf* vocant, ipsum cum sociis Luxemburgum propelleret, ubi d. 17 Mart. 1877 sacerdotio est initiatus, et finito studentatu Epternaci alterum exegit novitiatum.

Iuvat nunc longam vitam sacerdotalem carissimi confratris in duas dividere partes, quarum prior (1878–1907) praecipue *educandae et instituendae nostrae iuventuti*, posterior (1907–1928) *apostolatui externo*, maxime tradendis *exercitiis spiritualibus*, dedicabatur. Ac primum quidem per quadriennium Socius fuit Magistri, R. P. *Ottonis Joerissen*, cui quidem in epistola, quem supra commemoravimus, hoc praeclarum testimonium dare non dubitavit: « Plurimum debeo magno illi P. Joerissen, qui meo iudicio altarium honores bene meretur. »

Tum annis 1882–87 in Vaals iuvenistas nostros litteras docuit, et 1887–1893 domui Glanaepontanae nuper conditae adscriptus, statim monstrabat, quantum in schola P. Joerissen profecisset; nam hoc sexennio 16 tridua et 29 cursus exercitiorum habuit.

Vocatus deinde ad pressius sectanda veneratissimi ducis vestigia, per 14 annos continuos (1893–1907) *Magistri novitiorum* munus explevit. In Provinciae novitiatu memoria P. Schlemann nunquam oblitterabitur. Etenim supellex ferme integra sacelli et totius novitiatus ei debetur, et eius scripta solida subsequenitium Magistrorum «directorium asceticum» evasere.

Alterum vitae sacerdotalis dimidium P. S., uti diximus, apostolatui externo Redemptoristico consecravit, simul Rector domus Glanaepontanae 1907–09, tum Minister domus Bochumiensis 1909–1918, item per duo triennia domus Glanaepontanae, ubi etiam vita functus est, meritis onustus. Ad missiones proprie dictas exire nequibat, cum eius vox et contionandi genus huic apostolatui minus apta essent. Nihilosecius paucissimi invenientur inter Nostros, qui in senectute pariter ac P. S. *uberrimam messem* colligere potuerint. Namque in libris laborum apostolicorum hac periodo (1907–1928) notati sunt per eum habiti exercitiorum cursus 215, sacri sermones peculiare 672, conferentiae extra domum habitae 840.

Senex erat 77 annorum, cum ad supremum suum Superiorem scripsit: «Exercitiis spiritualibus adhuc vacare possum. Praeplacent *exercitia pro sacerdotibus*, et diu valde dolui in Provincia nostra tam paucos Patres se dedicare huiusmodi laboribus, quos S. P. N. Alphonsus tanti fecit.» Confrater noster exercitia clero tardidit in dioecesibus Paderbonensi, Monasteriensi, Osnabrugensi, Coloniensi, Trevirensi, Limburgensi, Hildeshiensi, Luxemburgensi; item sacerdotibus et alumnis aliorum Ordinum et Congregationum, velut S. Benedicti, S. Bernardi (et Cisterciensibus et Trappistis), S. Francisci, SS. Cordis, Ven. Pallotti.

Absoluto quodam cursu tres Vicarii foranei ad Rectorem domus venerunt dicentes: «Hunc Patrem saepius ad exercitia moderanda mittite; adeo omnibus placuit.» Ludimagistra autem quaedam post eius mortem scripsit: «Multis exercitiis in regionibus Luxemburgensi, Rhenana, Westfalica habitis P. Schlemann egregie id effecit, ut magistrae et educatrices novo officii sui amore implerentur, et libentes laetaeque postea ad scholam revertentur.» Etiam haec duo testimonia hic adiungere placet. Vicarius Generalis Monasterien. scripsit: «P. S. indefesso labore et abscondita activitate maxime de causa religionis in nostra dioecesi meritus est;» et quidam studiosus theologiae: «Durissimus nuntius. Perdidit eximium consiliarium in eligendo vitae statu, semper paratum ad adiuvandum consilio et opere.»

Confrater igitur defunctus sanctificabatur praedicando verbo Dei; *sanctificabatur* etiam *scribendo*. Nihil quidem prelo subiecit typis impressum, sed considerantes ea, quae litteris nitide consignata reliquit, cogimur

exclamare: *Non est inventus similis illi!* Praeter instructiones novitiatu completas huc pertinent saltem 7 parvi tomi, constituentes anthologiam, sententiarum, exemplorum... in commodum praedicatorum, complura volumina contionum dominicalium, festivorum, occasionalium (de solo Rosario Mariali inventi sunt 34 sermones varii), circ. 20 cursus exercitiorum ad sacerdotes habendorum, alii ad clericos Seminarii, peculiare quoque ad varia religiosarum genera: novitias, professas, moderatrices, ad religiosos utriusque sexus vitam contemplativam aut mixtam profitentes, infirmis servientes vel inventutem educantes et similiter, circ. 12 cursus in commodum magistrarum, alii haud pauci. Huc accedunt amplae series casuum asceticorum et conferentiarum singulis mensibus sacerdotibus aut religiosis habendarum. Haec omnia accurate ab auctore scripta sunt, et ita, ut facile dispositio appareat, quamquam multa, solummodo adumbrata, uberiore amplificatione indigent.

Inde ab a. 1909 P. S. a superioratu liber mansit, et anno insequenti, ipse sexagenarius, primum Bochumii sacerdotibus exercitia spiritualia tradidit. Exemplo igitur est nobis, quantum *homo unius laboris* perseveranti et indefessa opera, licet aetate proventus, perficere queat. *Nulla dies sine linea*. Saltem vesperi post ultimas preces per aliquod tempus scribere consueverat; nunquam enim fortunatus confrater ex capite laborabat, et valetudine comoda semper fruebatur.

P. S. in elucubrandis exercitiis non tritas calcabat vias, ita ut quidam Praelatus, in rebus asceticis et homileticis multum versatus, quondam diceret: « Iesuitae genus habent suum, Redemptoristae suum; P. Schlemann vero habet genus suum peculiare ». Unus cursus inscribitur: *Si scires donum Dei!* (1) alter constat ex 14 *Ecce*, tertius ex 14 quaestionibus S. Scripturae ad sacerdotes directis. Cursus postremi tantum ternas singulis diebus conferentias assignant, sed insuper examen conscientiae de obligationibus status.

Nullius hominis opera undequaque perfecta esse constat, et iam magna quantitas scriptorum Schlemanniorum videtur contradicere illi Tulliano: *Omnia praeclara rara* (2). In eius lucubrationibus certe multa praeclara non desunt, sed saepe desideratur profundior philosophica et theologica rei penetratio. Alii etiam plus effoderent gazas S. Scripturae et operum Sanctorum Patrum ac S. Alphonsi, atque ad *maximum et primum mandatum* caritatis saepius recurrerent. Tandem auctor fere ad solam intelligentiam audientium se convertit, nec occupatur affectibus excitandis, ita ut ad verae *eloquentiae* cacumina non ascendat.

Multarum *virtutum exempla* carissimus confrater nobis reliquit, praeter dictam admirandam laborandi assiduitatem. In litteris saepius citatis scri-

(1) *Ioa.*, 4, 10.

(2) *Laelius*, c. 21, § 79.

bere potuit: « Per 57 annos in Congregatione beatus vixi. Non novi ullas cum Superioribus difficultates, et spero fore ut ita maneat ». Nunquam ex eius ore audiebantur verba malevola et dicacia contra Superiores. Cuidam Superiori, olim novitio suo, se praesentat dicens: « Ecce adsum, paratus ad omnia quae iusseris et quae adhuc praestare potero ». — Diem recollectionis initio mensis, exercitia annua post Epiphaniam instituere solebat, hanc afferens rationem: « Anno mortis meae haec auxilia spiritualia mihi deesse nolim ».

Cotidie domi ante meditationem matutinam Viam Crucis obibat. Paululo contentus, paupertatis et simplicitatis evangelicae erat amantissimus. Per totam vitam acceptarum epistolarum involucris ad scribendum utebatur. — Dispensationes a vita communi abhorrebat. — Fidelissime sabbato servabat in honorem SS. Dei Genitricis certam mortificationem. Ultimo anno aliis quoque diebus panem butyro non illitum sumebat. « Praeter solita » in cibo, potu, somno post labores apostolicas concessa respuebat.

Interdum cum confratribus tractans homo sine corde esse videbatur, tamen minime eum deficiebant sinceræ caritatis viscera. Cuidam Patri nostro sermo habendus erat in hon. alicuius Sancti ipsi plane ignoti. Cum *Acta Bollandistarum* in illa domo deessent, P. S. non solum Aquisgrani in nostra bibliotheca orationis materiam collegit, sed etiam obtulit contionem plane elaboratam, quam confrater postea die festo ad verbum protulit. Libentissime P. S. in vita ex suis thesauris commodabat aliis, etiam ultra mare. Quos nunc, plures quam olim, in Provincia habemus exercitiorum cleri moderatores, Patre S. duce et adiutore gloriantur. Superior et Consultor liberalissime pauperibus loci et praesertim Provinciae domibus indigentibus subveniebat. Singularem etiam caritatem conservabat familiae suae numerosae, gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus.

P. S. saepius iocando dixit: « Annos centum aetatis assequar! » Ita etiam in summa senectute hic cultor « gymnasticae cubiculi » corporis mentisque viribus pollebat, timores Patris Hampl plane eludens. Pro exercitiis ante festum S. Ioseph 1928 in Simpelveld habitis 22 novas conferentias (88 paginas) conscripsit, et pro festo Ascensionis 1929 iam confecerat novam contionem. Nihilominus a. 1916 vel 1917 confratri ait sibi *mortem subitanam* instare. Revera die 1 Iun. 1928, fer. VI prima, quo die more suo menstruum secessum peragebat, versus meridiem apoplexia correptus est et exinde sensibus destitutus Glanaeponte in cubiculo suo iacebat. Tandem d. 4 Iun. vesperi, munitus morientium sacramentis auxiliisque, et confratrum precibus adiutus, animam Creatori reddidit. Omnium nostrum desiderium tum parochus quidam expressit verbis: « Apud ipsum libentissime in aeternitate esse velim! »